

Hic enim errores Typographicos, qui in priori potissimum Editione irrepsent plurimi, emendavit, necessaria supplens atque recentiores Scriptores adiecit. Multum sane in adornanda hac Editione ipsum præstitisse facile patet, dum etiam de Materiis necessariis & in Jure Publico de Controversiis recentioribus, integros inseruit Paragraphos, diuersas Scriptorum Editiones adnotauerit, idque vbiuis egerit, vt auctior longe hæc prodiret Editio atque emendatior. Idem etiam de reliquis Bibliothecis quæ nomen meum præ se ferunt, curabo. Vale, Scribebam Ienæ pridie Kl. Martii cIdo Idcc xx.

LECTORI BENIGNO

S. P. D.

CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDER.

DVm BIBLIOTHECAM hanc IVRIS SELECTAM, venia illustris Auctoris, grauioribus longe cum Rei publicæ, tum hoc tempore, Academiae, negotiis occupati, quinta vice formis impressam, procuro, breuiter quædam strictimque TVA LECTOR BENIGNE indulgentia fretus, de fati huius Libri deque leui mea opera, quam huic adhibui Editioni, præfabor. De utilitate & præstantia huius Bibliothecæ iudicium mihi non sumo, quum ab Anno MDCCIII. quo primum edita, quinque fere exemplorum millia ab eruditis & scientibus magno desiderio excepta, locupletissimum ferant testimonium, Editionesque adhæc maturari potuerint, si e re Bibliopolæ, honestissimi Viri, id quidem fuisset. Non potuit tamen ferre, vt in rebus omnibus humanis cum primis tamen literariis & eruditis fieri asolet,